

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale|| De Avibvs

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLVI.

VD18 90528921

Titvlvs I. De Aquaticis Fissipedibus Carniuoris.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11068



HISTORIAE NATVRALIS

DE AVIBVS

LIBER V.

De Auibus Aquaticis Fisfipedibus

TITVLVS I.

De Aquaticis Fisfipedibus Carniuoris

CAPVT I.

De Ciconia.

Ciconia Graecis πελαγός et πελαγός, quibusdam κικυψ et κικυψά, auis est apud nos notissima, penis albis et nigris, cruribus albis, rostro grui- no subrubro et crasfo. Tempore Plinii adfirmabatur, linguam non habere, habere illamque subrubram et breuissimam notum est. Degebant quoque olim in Italia, nunc nullas esse opinatur Aldrouandus.

In Fiderate agro nec nidum fecisse apud Plinium legimus, qui pariter eandem amoenum arbusto locum in Transpadana Italia non permeare, sicuti nec octauum citralapidem ab eo refert. Sed et in Britannia ignotas esse audiuius creditumque uulgo, nonnisi in liberis regnis, uersari. Migratoriam esse auem certum est, sed quonam loco uenirent aut quo se referrent, incompertum antiquis erat. Ex longinquo uenire non dubium, eodem, quo grues, modo illas hyemis, has aestatis aduenas. Extractus ex quodam prope Metim in Lotharingia lacu iunctarum globus, quae thermis excalesfactae reuixerunt, si Campofulgofo credimus. Sed et ex Lario lacu eductas (simul rostra in ano inserta habebant) et rite eodem restitutas modo Gaudentius Merula auctor est. Bellonius in Aegyptum in Aethiopiam auolare scribit. Septembrique et Octobri mense totam Agypti plani-

tiem occupare oculatus testis adfirmat. (Cum circa Abydum, inquit, essem uicesimo quarto die Augusti ingentem ciconiarum uim conspexi, quae ad tria uel quatuor millia accedere uidebantur. Volabant illae a Russia et Tartaria et Hellepontum agmine decusfato transuersum traiciebant. Et, cum supra Tenedum insulam essent, longo per anfractus tractu se conuertebant, donec in circulum omnes conlegerentur. Inde, priusquam longius a faucibus Propontidis pergerent, in minores aliquot turmas supra uiginti se distribuiebant et se inuicem uersus meridiem sequebantur.) Abiturae congregantur in loco certo comitataeque sic, ut nulla sui generis relinquatur, nisi captiua aut serua, ceu lege praedicta die recedunt. Nemo uidit agmen discedentium, cum discessurum adpareat, nec uenire, sed uenisse. (De incolis, ubi moraturae sunt, intellige,) utrumque nocturnis fit temporibus. Et, quamuis ultra citraue prouolent, nunquam tamen aduenisse usquam, nisi noctu, existimantur. Pythomes comen uocant in Asia patentibus campis, ubi congregatae inter se commurmurant, eam, quaenouisimo aduenit, lacerant atque ita abeunt. Notatum post Idus Augusti non temere uisas ibi.

Vescuntur ranis, anguibus et piscibus, bis in eius uentriculo dissecto a-

V

uicu-

Descri-

Plin. H. N. l. 10. c. 23. Aldrou. Ornith. l. 20. c. 1. Locus,

Campofulg. Memorab. l. 1.

Plin. H. N. l. 10. c. 23.

Vescuntur.

uiculae ossa reperit Schwenkfeldius. Bufonem non, nisi summa fame, gustant. Hinc nocere iis omnibus quidem locis nefas ducunt, sed in Thesalia uel maxim, eubi serpentium immanis copia est, quos dum escandi gratia insectantur, regionibus Thesalibus plurimum mali detrahunt. Capitale itaque occidisse eademque legibus poena, quae in homicidam.

Solin. in Polybist.

Plin. H. N. l. 10. c. 22.

Partus.

Nidulari in agro Varro innuit. In summis urbium tectis, ipsis etiam fumariis certum est nec dubium, aridarum aliquando arborum summitates sectari. Primo aduentu ueteres nidos repetunt, saluos a fordibus repurgant, tempestate laesos instaurant et constabiliunt. In iis duntaxat ueneri indulgent. *Qua* triginta non amplius diebus foeminam quatuor anterinorum tum magnitudine tum colore similes ponere eaque, quam primum uariatis utrumque plumis, fouere Encomiastes auctor est. Incubatus spatio mensis tempestate benigna absoluitur et tam impense nidos fouent, ut incubitus assiduitate plumas exuant. Tam flagranti amore foetus prosequuntur, ut in incendio Delfensi, cum subtrahere non possent, cum iisdem alis contactis interire, quam deserere, maluerint.

Solin. c. 41.

Vox.

Vox earum est apud quosdam *glotterare*. Quia sonus ille ex duabus rostri partibus ad instar crotali uel crepitaculi, quod ex duplici aerea lamina uel duobus ossiculis se inuicem collidentibus inter se collisus fit, crotalistris a P. Syro uocatur.

H. 1019

3. 101. 11

Volatus.

Nunquam, austro flante, uolant, dum feruntur, pedibus curium moderantur porrectisque in caudam, quae breuior illis contigit, pedibus per aera contendunt. *Dormientes* uni tantum pedi innituntur et caput humero alteri imponunt.

Affectus et Ingenium.

Aelian. H.

A. Paul.

Diacon.

Cum cornicibus, aquilis, mergis et uespertilionibus inimicitias gerere proditum a quibusdam. Praesagam esse auem docuerit exempla. Pressa obsidione ab Artilla Aquileia, urbem cum pullis deseruit. Inde augurium ab oppugnante sumtum est et urbs in potestatem re-

ducta. Cum tempestas imminet, utroque pede innixa pennas tristior infundit, rostrum in pectus condit et uultum eo, unde tempestas ingruit, obuertit. Ex earum cum carniuoris in Lycia conflictu de prouentu iudicatur annuo. Si penes has uictoria, pecora feliciter succedunt. Si illae palmam abstulere, frugum fertilitas praesagitur. Quod uulnera origano sanant et platoni foliis uespertilionis a nidis arcent, quod rostro, cum aluus non dedit, excrementa eiiciunt, quod denique lapidem lychniten, serpentum auerruncam nido imponunt, ut apud Philostratum legimus, ingenio debetur. Lapis in mulieris Tarentinae sinum coniectus, quod ex Aeliano et Oppiano habemus et recens zingiberis radix Vesaliensi hospiti adlata in gratitudinis exempla ibunt. Ciconiam foeminam adulterii, postquam hospes prohibuisset aquam, compertam a maritis alii discerptam. Alcinoen in Cranone Thesaliae foeminam, quae thorum domini absentis poluerat, excaecatam tanquam castitatis testimonia legimus. Ciconiarum legum apud Aristophanem nomen, inde originem traxit, quod in senectute parentes et alunt et humeris gestant.

Aelian. H. A. l. 6. c. 47.

Philostr. in uis. A. pollon.

Ael. H. A. l. 8. c. 22.

Gesner. in Ornithol.

Aelian. H. A. l. 8. c. 20.

Edebantur ante Plinii aeuum, id Sempronius Ruffus, quem Horatius tangit, instituisse creditur. Nemo iam adtigisse uelit seu, quod uenenatis nescatur seu, quod flauam, duram et mali succi carnem habeat.

Vsum in medicina si adtendas, asiam, si semel anno edatur, ab arthritide praeseruare nugatur Kiranides. Nec capras nec oues peste infici quidam scribunt, si ex uentriculo aqua intrito singulis cohleare unum infuderis. Fimum ex aqua haustum nonnullorum fide comitialibus prodesse prodidit Dioscorides, refutauit Galenus, cum adipe suillo in emplastri formam mixtam inueteratam podagram tollere apud Aetium et Myrepsum inuenies.

Vs.

Dioscorid. Parab. l. 1. Galen. simp. l. 10. c. 17.

Da-

Ciconia

Tab 50



Ibis Bellon

Ciconia nigra



Phaenicopteros



Ardea emerea alia

Ardea emerea maior



Ardea Reiger

Ardea emerea minor



ian.H.
6. c.
Voftr.
uir. A.
on.
H.A.
6. 22.
ner. in
vitol.
ian.H.
8. c.
s.
ofcord.
rab. 1. 1.
len.
p. l. 10.
7.



Actin
12. c.
Gefne
Ornit

Defe
pio.

Plin.
N. l.
c. 30.
Briff
A. l. 5
27.

Mer
3. Ma
rab. c
Aelia
A. l. 1
c. 20.
Locu
Aelia
l. c.

Vicia
Cicer
de N
Deor
Aelia
10. c.
Ann
Mar
lin.
Mel
degr
vrie.

bis animalium, breuissimos adtribuere potuerit. Magnitudo et ardeae. Flammant nomen in Prouincia. Habet et alterius iconem Aldrouandus, qui ex cinereo, phoeniceo et albo mistis coloribus spectabatur. Superior mandibula in medio notabili extuberantia insignis, inferiore longior erat et in acutissimam aciem desinebat.

Locus.
Heliod. l.
6.

De loco nihil fere certi. Nil autem disertius facit Heliodorus, ex

Flandria hyeme ad Narbonensis Galliae prouinciam uolare scribit Gesnerus, in mediis stagnis marinis degere, piscibus et cochleis uesci reliquit Rondeletius.

Apitium linguam phoenicopteri praecipui esse saporis pronuntiasse Plinius auctor est. Heliogabalum uero palatinis suis ingentes dapas extis et cerebellis illorum refer-

tas exhibuisse tradidit Lamprius.

Lamprius
in Helio-
gab.

CAPVT III.

De Ardeis in genere.

Quam Latini ardeam seu ab ar- dendo, quod simus eius exurat seu quasi arduam propter arduos uolatus uocant, illam Graeci *εραδίου* seu, quod *ερα idpoi*, id est, sanguinem in coitu exsudat seu quasi *ερατιδιον* auem Amori et Veneri propriam dixere.

Genera.

Genera ipsarum tria Aristoteles et Plinius faciunt, *leucum*, *pellum* et *asteriam*, Scaliger album, nigrum et subfuluum, quod pigrum Vasconia uocat. Aldrouandus innumera obseruauit. Corpus ipsis leue, exile, macilentum. Collum longum. Rostrum longum, crassiusculum, robustum, intus cauum, in extremo acutum. Digni pedum terni longi membranis modice inncti. Quartus retro pro calce similiter longus est.

Locus.

Degunt numerosae circa paludes et stagna in Bononiensi, Ferrariensi, Mantuano et Rauennate agro, reperiuntur et in Anglia, quod ibi capitale sit eas occidere. In Gallia ardearia instituta habentur. Pulli uolandi compotes ultro citroque commeant, deinde domicilia repetunt. In insulis noui orbis, quae Ardearum dicuntur, tantam ouorum Hispani inuenerunt copiam, ut multos iis currus onerarent. Ab Agricola inter eas aues numerantur, quae calidiora loca quaerunt. Confecta hyeme ad solita reuertuntur.

Vitus.

Vescuntur piscibus et ostreis. Illos dum capiunt, solis radios ita excipiunt, ut, uisa ipsorum umbra, refu-

giant. Hos cum testis deuorant, quas a colore interno apertas reuolunt. Anguillas quoque integras deglutiunt. Ad pedem tanquam ad illicium concurrere pisces creduntur. Si oleo ex ipsis per descensum destillato inungantur manus, pisces ita aduolabunt, ut sponte capi possint. Piscatores Hirschbergenfes illicium ex farina hordei, carnis cancrorum ex chelis et caudis, placenta lini expresso oleo parte una, uitellis ouorum tribus, pinguedine ardeae et olei laurini ana unc. II. cum petrolei et camphorae ana drachmis duabus conficiunt. Mirifice pisces illiciantur.

In coitu angii, mares etiam cum uociferatu sanguinem ex oculis profundere nec minus aegre parere grauidas Aristoteles, sed falso, prodidit. Vidit saepe coneuntes Albertus, cruribus super dorsum foeminae flexis, ita ut pedes maris ad caput foeminae sint et genua uersus excrementi sedem super dorsum. Motu alarum se sustinent et semen infundunt. Nidificant in syluis, locis paludosis alnis et salicibus confitis ac fere inaccessis gregatim. Sic et ab aucupibus et a rapacibus immunes se putant. Cancros ceu fascinationis amuletum nidis suis imponunt, si Aeliano credimus. Caruo ad uersus infestinantia nidos suos animantia se munire prodidere nonnulli.

Schwenk-
feld. in A-
nial. Siles.

Partus.
Aelian. H.
A. l. Ac.
35.

Vo.

Volatus.
Arist. l. de
insectis A-
nimal.
Volant extensis retro pedibus. Ideo illis uropygium inutile, collo contracto, tam alte, ut supra nubes transcendant maxime cum iam futurae imminent pluuiae.

Adfectus.
Aelian. H.
A. l. 5. c. 35
Inimicitias cum alauda, ouorum suorum hoste, uulpibus, cochleis et rapacibus exercent. Saepe cochleae a natiuis egressae testis in magna securitate pascuntur. Ardeae in uacuas inuolant. A falcone depressa, rostro sub alis condito ac sursum elato, inruentem excipit. Saepe ambae elisis interaneis humi adfliguntur eneetae. Accipitrem excrementis suis, quae pennas eius et pedes inficiunt et exurunt, repellunt. Fertur falcones, quod Crescentius prodidit, si sanguinem ardeae gustauerint, omne desiderium capiendi grues amittere, si carnem absque sanguine, uideri non teneri.

Crescent.
de Agri-
cul. l. 10.
c. 15.

De praesagiis hoc sufficiat. Ventum uel pluuias innuere uel, cum caput pectori imponit uel, cum notas paludes deserit et supra nubes adtollitur uel, cum, terra relicta, multo cum clangore adfestinat uel, cum obstrepero clangore a mari ad terram auolat uel, cum in medijs arenis tristis residet.

Mensis in Gallia expetuntur. Sed, cum caro illarum pisculentum quiddam redoleat et fibrosa sit, salubris esse non potest. Quae de rostri seu in pelle asinina fronti adligati ad somnum conciliandum seu cum cancri felle in eadem ad uigilantis collum suspensi ad uigilias inducendas Plinius uel Kiranides prodidit, inter fabulosa reputo.

Praesagium.
Oppian in
Isentio.
Aratus in
Phaenom.
Plin. H.
l. 18 c. 31
† Aelian.
H. A. l. 7.
c. 7.

Plin. H.
N. l. 30.
c. 15.

CAPVT IV.

De Ardeis in specie

ARTICVLVS I.

De Ardea Cinerea.

Ardeae cinereae tria sunt genera maior nempe, minor et congener.

ARDEA CINEREA MAIOR, quae Aristoteli pella seu pulla et fusca, cui superius dicta omnia fere congruunt, rostrum habet longum, prope frontem crasum, quod ita tenuē pedetentim euadit, ut tandem, uelut in acum, aliquam magnam desinat. Capiti cinereus cirrus ex tenerioribus pennis insidet, qui a sincipite incipiens sursum supra oculos per uerticem erigitur. Digitus posticus longiusculus est et fere anticis longitudine aequalis.

Nidulantur in excelsis arboribus non procul a fluminibus tam apud Anglos quam Gallos. Quia piscibus pullos nutriunt et multi, cum ori inseruntur, in terram decidunt, idem cum pluuia a multis decidisse putantur. Franciscus I. rex Gallorum tam cicures reddidit, ut a patre redeuntes ad ardearia sese reciperent.

MINOR, prout a Bellonio describitur, rostrum habet nigrum, concauum, lineam in fronte ab uno oculo ad alterum candidam. In capite et dorso pennas coloratas. Alas cinereas, inter pennas uerticis nigras exoriuntur candidae exiles, aspectu iucundissimae. Nidificat in rupibus.

CONGENER ardea rostrum habet pollicis crassitudine, digiti minimi iuxta nares latitudine, intus canaliculatum, inferne corneum et roseum. Plumas capitis, colli, dorsi et superiorum alarum ex cinereo fuscescentes, extremas omnes macula rufa notatas. Ventrem fere ex cinereo album. Crura subuirdia et pedes in digitos fissos, quos tamen diuarcationis initio breuifera membra coniungit. Ad hanc refer, quam Gesnerus describit, cui rostrum est subflauo coloris, marginibus acutis et parte anteriore leuiter dentium loco exasperatis

Volatus.
Arist. l. de
insectis A-
nimal.
Adfectus.
Aelian. H.
A. l. 5. c. 35
Crescent.
de Agri-
cul. l. 10.
c. 15.
Ardea.
in A-
er. Silf.
Ardea.
in A-
er. Silf.

Praesagium.
Oppian in
Isentio.
Aratus in
Phaenom.
Plin. H.
l. 18 c. 31
† Aelian.
H. A. l. 7.
c. 7.
Plin. H.
N. l. 30.
c. 15.

ratis ferratisue. Caput et collum candida. Crista capitis e plumis nigris retrorsum tendit. Dorsum et

alas cinereas. Vnguem medii digiti ab altera parte denticulatum.

ARTICVLVS II

De Ardea Alba.

Descriptio.
Plin. H. N. l. 10. c. 40.
Cic. l. 2. de Nat. Deor.

Ardea alba Graecis λευκορῶδιος, Ciceroni platelea, Plinio platea, Alberto cochlearia dicitur. *Corpus* habet instar cygni candidum. *Rostrum* nigrum pauculis notis ferrugineis superiori parte respersum, substantiae coriaceae durae, cochlear referens. In quibusdam ad carneum colorem proxime accedit. Foeminae superius maculis rubeis conspergitur. In maris uero rostri medio linea quaedam, qualis etiam in circumferentia conspicitur, a fronte ad rostri apicem usque conspicua est, prope oculos macula caerulea, quae in foemina lutea est, uisitur. Quaedam maculis in collo et dorso pulcerrimis, colore cocineo consperguntur. *Interiora* si spectes, in dissecta apud Aldrouandum foemella, *lien* erat exiguus, nigricans, rotundus, dextra parte prope folliculum bilis non procul a uentriculo. *Intestina* sinuosa, uniformia, nouem spithamas longa. *Cor* nullo pericardio uestitum. *Ventriculus* laeuis, intus et simplex. *Ingluuii* loco pars uentriculi superiori orificio imminens ampla capacitas. *Aspera arteria* cygneae ualde similis, licet contrario modo sita. Nam quemadmodum in cygno ad sternum ascendens post descendit, ita haec ad pulmones recta percurrens suos flexus agit inuicem oppositos. *Ossa* tibiae aperta, medulla rubra erant plena. *Reperitur* in Gallia, Anglia, Bohemia, non tantum marinis locis, sed et palustribus. In Holandia non longe a Lugduno infinitos earum nidos uidimus.

Vitius.

Vescuntur piscibus, ranis et serpentibus, ut quidam produnt. Nec uel herbas aquaticas uirides et ramenta radicum geniculata arundi-

num uel intestina gallinarum aspernantur. Facile *coneuunt*, in arboribus nidulantur et pariunt, ad quatuor foetus alunt, qui a ferini saporis cultoribus commendantur. Gesnerus sibi gustanti anseri non dissimilem uisam ait et apud Anglos in deliciis habetur.

Huc plurimae, aliae ardeae referuntur:

I. **GARLETTA** Italorum, ut Gesnerus uocat, auis cum ardea per omnia, colore excepto, congruens. Quam Gesnerus Ferrariae uidit, *rostrum* habebat longum acutum, in crista capitis dorsum uersus pennae oblongae ad duos cum dimidio dodrantes circiter sex nascebantur, quae aliquando magno uidebantur pretio. *Pedes* nigricabant, inferius tamen subito in medio cruris niger color desinebat et uiridis e glauculo suberat ad extremos usque unguis. Minimus *pedis* digitus binis articulis constabat, proximus ab eo ternis, medius quaternis, ultimus quinis. Cum hac eandem illam Aldrouandus facit, quae habebat rostrum supranigrum, infra caeruleum, oblongum, caudam breuem, rariores aliquot in dorso illasque oblongas pennas, quibus pileos et galeas proceres exornant, tres in capite pinnas, breuiores et coloris albi, quae cristam efficiebant.

II. **EGRETTA** Gallorum, quae et haematopus, phoenicopus et cirris Virgilio, ut Scaligeri pater et filius adstruunt, dicitur. Omnibus fere ardeis minor est, tota fere ex croceo ad colorem castaneae uergens, prone intensius, supine et super alis remissius. *Collo* breui, *rostro* robusto, longo, acuto, bicolore, qua caput tangit, uiridi uel

ex

Arist. H. A. l. 9. c. 18.

Gesner. in Ornithol.

Aldrou. Ornith. l. 20. c. 14.


M...
H...
A...
I...
A...


A. H.
9.
8.

C...
L...
-19

er. in
ibol.

row.
ith.
c.14





Ardea, Quinotta.

Ardea stellaris maior.

Ardea stellaris altera.

Ardea nigra. Schwarzer Reiher.

Ardea alba. Weißer Reiher.

Falcinellus. Sichter.

Falcinellus Aris falcata.

Aris pugnax.

Aris pugnax.

Arquatia seu Numerus.

uiridi ad caeruleum inclinante, *cruribus* et pedibus, rubri saturati coloris, *cauda* tam exigua, ut ea prorsus carere uideatur.

III. *SQVAIOTTA* Italorum. *Cauda* breui, *pedibus* uiridibus, *rostrum* luteo in extremo nigricante. *Apex capitis* triginta plumis constat, quarum mediae albae sunt, extremae nigrae, in tergore pinnae elegantes coloris rubicundi in suis radicibus albae.

Congener ipsi est et ista, *rostrum* maxime arcuato, colore prorsus leucophaeo. *Auis* est aspectu non inuenusta. Prone ad collum et pectus, quod nigris maculis, ut in ardea, deorsum descendentibus consper-

sum cernitur, albicat. Caetera tota est leucophaei coloris, prone remissioris, supine intensioris. *Femora* in ea contra, ac in reliquis pennis, uestiuntur.

Ex ardeis quoque albis sunt tum ea, quae *garzetta bianca* dicitur, *rostrum* longo, gracili, acutissimo, *digitis* postico omnium minimo, anteriorum medio longissimo, inter oculos et *rostrum* maculata, tum ea, quae uertice est croceo, *pedibus* pro proportione corporis longissimis, fuscis, albicantibus annulis circumdati. Vngue *medii digiti* caeteris longiore ferrato.

ARTICVLVS III.

De Ardea Asteria siue Stellari.

Ardea stellaris triplex genus est, *minus*, *maius* et *crifatum*. *MINVS* dicitur Aristoteli, *taurus* Plinio, *botaurus*, *butorius* et *buttora* aliis dicitur et quibusdam ornocrotalus esse putatur. *Collum* est longo et mire plumoso. *Capite* nigro, corpore reliquo fusco et pallido maculis nigris densissime adperso. *Pedes* habet longissimos et inter extremos unguis *medii digiti* pedis unius et *calcis* eiusdem *spithamae* longitudo intercedit, *ungues* longissimos et ille, qui *calcis* uicem in aibus gerit, longitudine sesquiunciam superat. *Medius digitus* utriusque pedis, qui caeteris longior, dentatus et ferratus est. *Cauda* illi breuissima. *Stomachus*, quo *ingluuii* loco utitur, capacissimus, canino similis. *Arteria aspera* in eo tota continua est, *larynx* nulla nec, quod huic analogia quadam respondeat. *Dammum* hoc compensare uoluisse natura uidetur *canalium duorum* hinc inde in pulmones utrosque abeuntium structura. Ita enim fabricati sunt, ut *anuli cartilaginei* minime totum absoluant circulum, sed exteriori duntaxat parte medium, interiori, ubi aliis aibus hi circuli fissura tantum-

modo in longum dissecantur, membrana quaedam tenuissima alteram canalis deuariati exacte medietatem absoluens plana et aequabilis obtenditur, quin et hemicycli latus exterius componentes rari admodum, interiectis subtilissimis membranis siue tunicis, ad faciliorem et maiorem distentionem facti sunt, quo nempe largissimus et hoc facili tumescere meatu conceptus aer, *rostrum* in aquam inserto aliquandiu retentus, tandem per apertum et extractum, qua data porta, maximo impetu erumperet. Prolobo caret, at eius loco amplissimum oesophagum habet.

Videtur ranis et pisceibus, inprimis anguillis.

Nidum ex arundinibus intertextum cum *ouis* duodecim in lacu quodam se uidisse ipsamque auem colore ita ad arundinem accedere, ut inter arundines sedens uix deprehendatur, reliquit Gesnerus. At eundem ex furculis in celsarum arborum ramis struere et ita aut quatuor oua excludere reliquit Bellonius.

De uoce diximus, cui similes illi sonidi cuntur, quos *βερμυκός* Aristote-

Vox.
Aristot. in
Problem.
s. x.

stoteles appellauit. Dicitur in Aegypto mansuescere et adeo praeclare humanam uocem intelligere, ut, si quis eam feruum appellauerit uel pigrum (nugantur olim e feruo in auem transiisse) indignetur. Non facile hominem refugit, eo proximo, aut arundinibus se addit aut aquae immergitur.

Non citius *euolat*, quam prius salierit. Vbi pisces frequentes nouit, adeo quieta consistit, ut plane uideatur mortua et, ne colli longitudine se prodat, breue id incuruando facit. Capta stat immobilis et uenatorem adprehensurum incautum uulnerat.

MAIOR ex pella et stellari prognata esse creditur. Illam enim capite, pectoris maculis, alarum colore, ipsa denique magnitudine refert. Reliquarum partium colore stellarem minorem, maculas si ex-

cipias, quae in ea non sunt, imo pedibus adeo eandem exprimit, ut simul positas uix peritissimus etiam auceps discernat. Apicem quoque in uertice habet, ex quo duae longiusculae pennae exorientes totum caput, uelut galeam, colore nigro exornant. Gesnerus *elaphin* Oppiani esse coniicit, quae pennas in dorso uarias et maculosas hinnulorum instar habet et linguam longissimam, qua in aquam protensa, sensim ad fauces pisces ad conspectum adnatantes solet adtrahere. Hanc Aldrouandus et CRISTATAM seu cirratam esse opinatur.

Congener est hisce, quam idem *ardeam nigram* uocat, colore per totum, collo excepto, quod albo torque circumdatur et, *rostrum*, quod luteum est, nigricante, *collo* longo, longis *cruribus*, digitis pedum longissimis, unguibus acutis et *cauda* breui.

C A P V T V.

De Quibusdam Auibus ad Ardeas Relatis.

Ad ardeas refero falcinellum siue falcatam et pugnaces, quas Belgae kemperkens uocant. FALCINELLVS auis est magnitudine et tota corporis specie ardeam referens, eleganti colore, uiridi fere, alicubi puniceo admixto, capite et collo fusco. Superior pars *colli* anterius albicat, maculis nigris intercurrentibus. *Rostrum* ei oblongum, tenue et anterius falcatum. *Crura* oblonga, pedes fisci. Nulla magis ad ibidem accedit. PUGNACES quotannis immenso numero ex septentrione in Belgium uerno tempore sub Maium aduolant, plures mares, quam foeminae. Hinc inter mares tanta contentio, ut sese mutuo occidant, donec cum foeminis numero pares euaserint. Exclusis educatisque foetibus, una cum his, unde uenerant, reuolant.

Octo ipsorum genera seu formas potius descripsit et depingi curauit Aldrouandus.

Prima perdicis instar toto corpore maculis respergitur. Caput

galeritae, uelut apice, insigne est. Rostrum exile, in extremo nonnihil recuruum. Lingua longa, acuta, subatra. Caput, ceruix, dorsum, alae, uenter et femora ex luteo ad castaneae fere colorem tendunt et maculis, quae in capite adeo exiguae sunt, ut exigua punctula potius uideantur, resperguntur. *Alter* cristam quoque in uertice gerit. Ventre nigricat, candicat pectore. Mentum macula nigricans ceu barba quaedam exornat. In fronte albicat, in occipite et in reliquis partibus ex albo ad fuscum uergit.

Tertia tota fere est rufa nigris maculis lunam aemulantibus undique, excepta ceruice, inspersa, apice caret. Femora et infernum uropygium colore sunt Baetico. Alarum pennae maiores nigrae, in fine et ad latera fere croceae.

Quarta colore fere cum ista conuenit, nisi quod uenter sit fuscus, podex albicans, alas subalbicantes maculae multae, magnae, transuer-

Auis pugnax.



Auis pugnax.



Auis pugnax.



Auis pugnax.



Hæmantopus

fæmina.

Toranus meertun.



Ardea Reiger.



Porphyrion.



Hæmantopus mas.



Alcedo Vocalis.





Dip
De
prio

libdo
Votus



uerfales, tortuolae transcurrunt. Caput nigrum magnae pennae, uelut galeam, eleganter exornant, procul dubio dimicatura erigit.

Quinta eiusdem fere est coloris, sed pennas eas, quas erigit dimicatura maiores, candidas et in extremitatibus suis nigras habet.

Sextae pennae illae sunt candidae, color plurimum diuersus. Toto enim corpore fusca est, exceptis femoribus et cauda, quae sunt colore Baetico. Ante albas illas in collo subrectas, alias habet in uertice, quae minores sunt et nigrae. Caput ex cinereo flauescit.

Septima pennis omnibus uariat, uiridibus, albis, rubris, amethysticis, lateis et, quod obseruatu dignum est, nulla earum alterius colore permiscetur.

Ottauam auritam natura fecit. Rostro est gracili et oblongo, a capite per collum pennae undiquaque pendent, magnitudine aequales, sed in quibus uarios cernere est colores, qui, uelut uarios torques, formant modo ferrugineos, modo rubros, modo albos. Collum habet longum, ualde gracile, tenue, ad latera candicans, caetera lutescens lineolis longis undiquaque conspersum. Caput ad latera maculam miniaceam magnam habet, in qua oculi siti sunt. Aures afininis non dissimiles, crura duplo, quam praecedentibus breuiora. Digitum posticum admodum breuiem.

CAPVT VI.

De Porphyrione et Horione.

Dipnos. l. 9
Descriptio.

Porphyrion a colore ita dicta, quam Callimachus apud Athenaeum a porphyride diuersam facit quaeque in agro Patauino telamon uocatur, *avis* est secundum Athenaeum galli magnitudine, colore caeruleo, *rostrum* ad caput uehementius obstricto, phoeniceo, longis *cruribus*, fissis pedibus, in quibus quinque digitos habet et maximum illum, qui medius est. Oppianus ei *cristam* in capite, qualem sagittarii Persae gestant, tribuit. Isidorus pedem unum latum ad natandum, alterum fissum ad ambulandum addit. Apud Aldrouandum duplex eius exhibetur icon. *Prior* habet rostrum crasum, acutum, purpureum, a fronte ad uerticem fere usque macula eiusdem coloris extenditur. Pars capitis, quae huiusmodi maculae subiacet, et collum primum uirescunt. Ex remigibus alarum pennae quaedam in extremo albicant, quaedam sunt fuscae. Reliquum totum corpus caeruleo uegeto colore insignitur. Cauda fere caret. Digitis tantum quatuor ex purpureo subalbescens insitit. *Alter* rostro, cruribus, pe-

ribus et oculis descripto est similis, nisi quod unguis habet fuscus, et macula in fronte purpurea ornatur et, quod in illius capite et collo uiride erat, in hac caeruleum adparet. Caeruleae pariter sunt alae. Reliquum caput, ceruix, dorsum, pectus, uertex et femora nigricabant. Laudatissimi sunt in Comagene. Nobiliorem uero Balearis insulae mittunt. Fert eas et ultima Syria, ut Diodorus prodidit. Athenaeus a uem Lybicam, Diis eius regionis sacram indigitat.

Vescitur piscibus et in occulto quidem, ne a quoquam uideatur. Non prius autem cibum capit, quam se lauauerit nec prius se uel in puluerem uel in lauationem dat, quam in ambulationem ueniens certa spatia confecerit. Sola haec mersu bibit, ex proprio genere omnem cibum a qua subinde tingens, deinde pede ad rostrum, ueluti manu, adferens. Polimon apud Athenaeum de cibo, quem adprehendit, paucas buccellas decerpere scribit, si *quis uero* *das* ita sumendum est. Alui excrementum, ut et reliquae aues longi angustique colli, humidius, quam caeterae solent reicere Aristoteles auctor est.

Plin. H. N. l. 10. c. 47.

Athen. Dipnos. l. 9. Vetus.

Athen. Dipnos. l. 9. Plin. H. N. l. 10. c. 46. Arist. H. A. l. 8. c. 6.



Volatus. Ad uolatum dirigendum loco uropygii, quod parum latum habet, pedes protendit et, quia spectaculo saltationis adeo delectatur, ut et ipsa ad saltandum membra componat, haud difficulter eo modo capitur, si Oppiano credimus.

Oppian. in Ixentic. Adfectus. Incrediblem fere de eius castitate auctores. Nunquam in conspectu hominum coniugi misceri et ne uirum quidem uxori concumbentem uideri posse retulit Oppianus. Tantum sensum obtinere stupri, ut, si id deprehenderit, uitam seu laqueo seu inedia finiat, apud Aelianum, Athe-

Aelian. H. A. l. 5. c. 28

naeum et Tzetzem legimus. Quaedam cum gallo tantam societatem contraxerat, ut, cum iste occideretur, conuictiore priuata inedia sibi mortem conscisceret.

Nunquam cibi gratia adposita esse uidetur. Magnificis aedibus, ut Aelianus habet, pro ludicra est delectatione.

Cognata est ipsi HORION, auis amatorio adfectu flagrans, magnitudine herodii, cruribus rubris, oculis caeruleis, sic a musica intructa, ut naturae munere sua uis sine canat.

Athen. Dipnos. l. 9. Tzetz. Chil. 9.

Vjs.

Aelian. H. A. l. 17. c. 22.

CAPVT VII.

De Helorio, Limosa Venetor. Barge Gallorum et Haematopode Bellonii.

Athen. l. 9. HELORIVS creci, de quo pitea, similis esse traditur. Clearchus eum apud Athenaeum cum trochilo et carulo inter *παρευδεις* seu aues, quae coelo sereno in litore pasci solent, meminit.

LIMOSA Venetorum, quae ad lacum Verbanum giraldel, circa Neapolim leuerfina, Germanis ein Meerhun dicitur, arquatae maiori, de qua in sequentibus, per dorsum est similis, maculis uaria, tota parte prona, capite et collo praefertim.

BARGE Gallorum, quam aegoccephalum Bellonius facit, minor est helorio, colore uero non ab similibus, rostro breuiore, recto. Liene omnino caret. Fel iecori simul et uentri adhaerere conspectum est,

quod de aegoccephalo Aristoteles *Arist. H. A. l. 2. c. 15.* scripsit. *Uidum* in saluginosis paludibus frequenter, rarius in remotis a mari ubique noctu quaeritat. *Vocem* hircorum et caprarum edit. Hominis accessum non fert. Et apud Gallos in deliciis habetur.

HAEMATOPVS Bellonii rara *Bellon. in Corp. obs. l. 1. c. 11.* est in Gallicis litonibus auis. *Corpo-* re ardeolae, alis lari, capite, collo et cauda extrema nigris. Interiore alarum parte et uentre albis. Gula magna admodum, ampla et robusta. Binos habet *digitos* simul conhaerentes, interior uero ab aliis seiunctus est. *Calcar* in pedis calce, ut reliquae aquaticae aues, non habet. *Pedes* sunt molles et delicatuli. *Digiti* breues, unguiae, ut in tarsis, fornicatae.

CAPVT VIII.

De Alcyone.

HALCYON et alcedo *παρά τὸ ἐν ἁλὶ κύνει* sic dicta, auis Possideonis nonnullis, ceycis quibusdam, modernis Graecis *φασιδωνίς*, mas *κύνε*, *κύκυλος* et *κύνις* dicitur. Paucissimis, inter mediterraneos inprimis, nota est. Omnium rarissimum est, inquit Aristoteles, uidisse alcyonem et fere circa Vergiliarum occasum bru-

mamque adparet et, ubi primum per portum non plus, quam nauem circumuolant, statim abit et nusquam praeterea uisitur. Duo huius auis genera, *mutum* et *uocale* ex Aristotele quidam faciunt, sed falso. *κελιδωνες* enim apud eum sunt intelligendae. Turnerus et illam inter alcyones reposuit, quae sturno paulo

paulo minor, corpus totum nigrum habet, uentrem album, caudam breuiusculam, rostrum alcedone paulo breuius quaeque ante uolatum alcedonis more nutat, in uolatu gemit. *Alcatraces* quoque, quae in Peruuia marinis lupis, carabibus piscibusque insidiantur et, quia cadaueribus delectantur, adeo sunt lethales, ut ad earum usum necessitate redacti non secus, quam aconito toxicoue uicti intereant, inter earundem referuntur genera.

Forma.
Arist. H.
A. l. 9.
c. 14.
apud Scap.
lib. c. 21.

Formam si adtendas, non multo amplior est passere, colore caeruleo et luteo et subpurpureo mixto insignis. Tale corpus totum et alae. Tum *colli* partes non seorsum positae coloribus. *Rostrum* subluteum, longum, tenue. Mari adeo delectatur, ut pectus aquis adspargat, cauda in terra sicca imposita, non spernit tamen et aquas dulces.

Vitius.
Vitiat piscibus, quos ex alto se in mare recta immittens capit.

Partus.
Quantum ad generationem, senes in coitu extingui creduntur. Aliae, ut apud Plinium legimus, foetificant bruma, pariunt oua quinque, qui dies alcyonides uocantur, placido mari per eos et nauigabili, Siculo maxime: (hinc Siculi maris ciues Scaliger uocauit.) In reliquis partibus est quidem mitius pelagus, Siculum utique tractabile. Faciunt autem septem ante brumam diebus totidemque postea sternitur mare halcyonum foeturae, unde nomen hi dies traxere. Nec tamen de tempore omnes adsentiuntur. Columella enim in octauum Calendas Martii, quibus in Atlantico mari summa notatur tranquillitas, eos conicit. Sed et in numero dierum dissentitur. Quinque statuit Simonides et Aristoteles, septem Samius Demagoras, nouem Philochorus, quatuordecim alii. De maris tum

temporis tranquillitate et uentorum quiete, molliore coelo apud Theocritum, Ouidium, Plautum, Plutarchum, Aelianum et alios passim inuenies. *Nidi* locum Ambrosius arenam, alii litus, quidam undas ipsas, hinc Statio domus fluctuaga, Silio Italico nidus natans dicitur, ponunt. Saxo cuidam proxime aquam, ita ut aquae *ερωχισθη* uideatur, adglutinari credibilius est. *Ro-*stro autem suo nec alio nidum fingit halcedo, imo nauis instar fabricat, opus euertere mergique fluctibus neficium. Componit deuincitque conferens inuicem acus pisciculi spinas ac rectis aliis ceu stamini transuersas alias, ueluti subtegmen, implicat, mox confertum recuruat et in orbem reducit, sic conaptat denique, ut opus nauigii specie turbinatum ac qualo propemodum piscatorio simile euadat. Perfectum litori, quo fluctus extremi pertingunt, adplicat. Hic unda molliter feriens nondum firma satis hiantiaque procellarum uerbere deprehensa farcire docet. Solide uero et iam conhaerentia constringit figitque adeo, ut nec saxo nec ferro dissolui diffringiue facile queant. Magna comprimis admiratione ostiolum dignum est sic modificatum figuratumque, ut hanc unam subeuntem recipiat, caecum caeteris et abditum et aliud profus nihil admittens, ne undarum quidem quicquam.

Mores.
Plutar. l.

Mores eius exinde metiare, quod maritum adeo diligit, ut non uno aliquo stato tempore, sed per totum annum consuetudine eius utatur, senem et ad festandum tardum gestat et nutrit nunquam relinquens solum. Cum ad tepidum solem pennas in litore expendunt, pluuiam denotare dicuntur. Virgilius hoc inter caetera serenitatis signa numerat.

Plut. de solerr. animal.

Mores. Plutar. l.

Mix. ald. Ephem. l. 1.

Virgil. Georg. l. 5.

CAPITULUM IX.

De Ispida et Rousferolle Gallorum.

Ispida, quam nonnulli alcyonem ueterum uel simpliciter uel flu-

uiatilem esse putant, Genuae Martius piscator, a nonnullis aliis Italis auis



Descri-
prio.

avis Paradyfi, sed et piscator regis dicitur. *Rostrum* ei est nigrum, rectum, in summo acutum, tres digitos longum. *Caput* pronum cum ceruice uiridis coloris transuersis lineis ex albo caeruleis distinctum. *Virent et alae*, sed interior pars plumarum ad purpureum fere uilaceo dilutum colorem tendit, adspersuntur lucidis aliquot punctis. Per medium dorsum a principio usque ad finem caudae plumae sunt caerulei coloris diluti et ad album inclinantis adeo splendidae, ut oculos etiam uisu immorantes offendant. *Pedes* breues, rubicundi, in quibus duo longiores digiti ad mediam usque partem connexi postea funduntur. *Lingua* perbreuis est, latiuscula ac subrubens. *Oesophagus* ualde oblongus. *Ventriculus* in imo corpore iuxta anum. *Adeps* rufa.

Est et aliud ispidae genus, quod ex India adfertur regulum magnitudine uix superans. *Rostro* oblongo, tenui, nigro, reliquo corpore ad caudam caeruleo, uiridi et nigro. *Cauda* pro corporis proportionem longiuscula tota fere nigra. *Pedum* constitutione cum superiore eadem. *Solitaria* est et in agro Bononiensi, Heluetia, et alibi media hyeme circa ripas glacie concretas reperitur.

Locus et
Partus.

In arena uel scopulo aliquo iuxta aquam nidificat. *Nidum* forma

rotundum, eminente in angulum foramine exiguo, ex floribus arundinum, mollem construere aiunt. Pullos interdum nouem in nido uno reperiri.

Pellis eius cum pennis adseruata peculiari ui aduersus *lineas* pollere creditur. Non tangi fulgure domum, in qua eius nidus suspensus fuerit, nugantur quidam. Moschi instar cum pullis suis suauiter olere *Tragus* prodidit. Suspensam pennas quotannis tanquam in uiuo corpore murare falsum comperit Aldrouandus.

ROVSSEROLLE seu rouche-
role Gallorum, alyone uocalis est Bellonio. *Rostrum* habet ferratum, picae Graecae seu collurionis simile. Plumae capitis longiores cristae quandam speciem prae se ferunt. *Nidum* si quis inuersum adspiciat, ad arcem primo intuitu referre uidetur. *Sena* ut plurimum oia parit et quinque sexue excludit pullos. *Cantu* adeo ualet, ut omnibus canorus a Bellonio praeferatur tamque in eo indefessa, ut dies et noctes absumat, tam seria, ut uacillet totoque corpore tremat. Inter reliquas uoces has inprimis proferre uidetur: toro tret, fuis, huy, tret. *Aristophanes* eius cantum expressisse creditur.

TITVLVS II.

De Aquaticis Fisispedibus Insectiuoris

CAPVT I.

De Arquata, Crece et Totano.

Arquatam ab arcuato rostro sic dictam, numenium ueterum, qui forte a neomenia, quod rostri figura arcum lunae recens a nouilunio crescentis in cornua repraesentet, ita dicitur, esse Gesnerus credit, Bellonius elorium Aristotelis coniicit. *Rostrum* habet circiter octo digitos longum, post tres di-

gitos flecti deorsum incipiens nigrum. *Pennas* coloris fusci uarias et maculosas, ex quibus maxime fulgent instar serici uillofi, quae inter alas et dorsum sunt, in medio nigrae, in circuitu per in tertitia subrufae. *Digitus* sunt fissi, sed aliquatenus membrana coniuncti, quae etiam utrinque iuxta digitos descendit